

SAPIENTIA SALOMONIS

In

ROBOAMO 14

Perdita,

&

Ill^{mo} & R^{disso} PRINCIPIS, ac Dno Dno

GEORGIO
LIPPAY,

ARCHIEPISCOPO STRI-
GONIENSI, EJVSDEMQ; CO-
mitatus perpetuo Comiti, Legato Na-
to, Primati Hungariæ, nec non S. C^r.

Rq; M^{ttis} intimo Consiliario, &c.

Dño ac Patrono gratiosissimo,

Ab

Ill^{ma} & Prænobili Gymnasij Societatis

JESU Juventute in Scenam data

Scepusij; ipsis Ferijs Ante-
cinalibus.

*Natus est Sultus in ignominiam suam, sed nec Pater in-
faruolabitur. Prov. 17. v. 21.*

ANNO M. DC. L.



PROLOQVIVM.

Si quis cum Solino spherico, & annulari Epi-
rotarum Pyrrhi circulo, Salomonis de caelo hau-
stam sapientiam Achate consignare diffideret,
& novem illa suis armata Musa insignibus, &
Apollo ipse suum suavius excrissans pectinem,
quâ voce, quâ sono, Sapientiam in Pyrrhi hospitari annulo, Pyr-
rhum verò hoc annulo sapientem, testaretur. antiquum quippe
illud est, Salomonem in annulo sapientem, sapientiam in Salomo-
ne annulatam natura arcana, secretissima divinitatis myste-
ria ponderasse. Sed hæc, ut dixi, vetusta nimium, & Arabica
illâ fide, quàm, hac nostra memoria digniora, vix veritatis cal-
culo sunt notanda. augustiorem sibi hodie Sapientia nostra se-
dem deligit, quando in annuli incerto ambitu rotari pertesa
amplius, Salomoneos in Roboamo cum vicissitudine fugit Annu-
los, & amicam sibi jam olim majestatem, quò securiori aliquan-
do plus ultra metas Herculis consistat termino, LIPPAIANAS
in caelos surgentes COLUMNAS, Colossos ipsos, quibus Ungaria,
quibus Romanum calum innititur, sublimior affectat. Patrice
proinde Princeps Ill^{me} si nuper è Throno Salomonis in Ægyptum
profugam, hodie verò ad Scepusiensis velut LAPIDEM REFU-
GII reducem, & amico non Societatis modò JESU, sed & Tuo
sinu exceptam, Gentilitiorum tuorum Columnis, novellum hoc
Societatis JESU Gymnasium, superimponat Sapientiam; ;
utring, certè te Principem, Sapientem utring, judicaturum.
Neg, dedignaberis hunc Tua, hoc in orbe Scepusio, plantationis
fructum

fructum decerpere, quem, ut in Tuas Illustrissimas Columnas
assurgeret, felicior dexterâ Tu ipse Plantator felicissimus, ul-
tra spem rerum omnium, insevisisti. Enim verò, quis hanc Tibi
à Societate Tua dedicandam Sapientiam diffideret, nisi cui, &
Lyncum tuarum in oculis sita, obscura nimium est perspicacitas,
& tuam divini omnino Intellectus in rerum quarumvis seu Re-
gni, seu Ecclesie difficultatibus occurrentibus, cum rara felicita-
te Ingenij, ponderatricem non perviderit Sapientiam? At
ROBOAMUM fortasse non nemo Aristarchorum severior, non
causabitur modò, sed & contemnet? imò verò, quia & in Regno,
& in gloria Salomonis Principem cum majestate locum possides,
Principem Principi, Roboamum, & stultum, quidem Salomoni,
Sapientem inquam corrigendum, lubens dedico, consecroq;
quando si Gracis, Platoniq; ipsi sapientissime differenti, subscri-
bimus, Principes nunquam magis, quam Sapientum con-
gressu Sapere consueverunt. Non fictum itaq; Jovem cum
Saturno, sed Salomonem cum Roboamo, neq; jam ad fabulosam
illam antiquitatem reflectens animum, sed ad veriore splen-
didiorēq; Lyncum tuarum facem prospiciens, tibi à me dedi-
catam Princeps Illme suscipies Sapientiam; ita tamen, ut non in
levi modò papyro descriptam, & foliis mandatam hanc meam
Sapientiam ponderes, sed, quod Lyncibus tuis jam olim innatum,
& in totum adèdè Regnum comprobatum Tua credidit JESU So-
cietas; illud, in Scepusio quoque excepta colle, post tot etiam con-
vexa montium, & Carpati juga altissima, Lynceo tuo, & beni-
gnissimo inspecta oculo experiatur, nisi hanc ipsam plantatam
manu tuâ Scepusii Sapientiam ad tuas iterum, ut robo-
retur & firmetur Columnas amplius, sup-
plicem cupias intueri.





ACTVS I. Scena 1.



Oboam defuncto Patre Salomone, in Siche-
m Civitatem David iter adornat coro-
nandus; sed diversis diverſorum percuffus
ominibus, à propoſito deſiſtit, dùm Joſapha-
ti, Banaiaæ, cæterorumq; Regni Principum ſenſa exci-
piat, & tandem conſilio Azariæ ſiſtat Sacerdotis.

Scena 2. & 3.

Dùm Præco Regius, proxima in Siche-
m Regni indi-
cit comitia, Sycophantarum non nemo, à militibus
novo Regni, quem præſabat ſtultiùs, donatus throno,
inſigniter deluditur.

Scena 4.

Quò ſolenniùs comitorum procedat dies, Aduræ
Præfecti, cæterorumq; operâ, non ſine Iſraëlitarum
lacrymis tributa ſeveriſſimè exiguntur, ubi & fraudes
diverſæ Civium.

Scena 5.

Duodecim Tribus Iſraël, quid in proximis Regni co-
mitiis ſtatuerè debeant, ſecum decernunt; quodq;
Salomonis graviffimum relaxandi jugum modus non
occurreret, ad Jeroboamum Ducem ex Ægypto (quò
Salomonis metu ſeceſſerat,) revocandum Legatos di-
mittunt.

Scena 6.

Rex Ægypti Sefac, apud quem Jeroboamus diverſatus
fuerat, varijs Principem exornans donis, in ſpem,
Regni Jeroboamum honorificentiffimè Jeruſolymam
remittit.

C H O R U S.

Varia Desideria Israël, Jeroboami reditum præstolantur.

Scena 7.

Adventanti Jeroboamo Principi, obviam Tribus omnes effusæ, gratulabundæ applaudunt.

C H O R U S.

Sed & Genius Israëlis Jeroboamo factus obvius, ut gravissimum Salomonis aliquando deponat Jugum, illud Jeroboami collo bajulandum imponit. Onustus proinde Jeroboamus Jugo Israël, pro libertate Patriæ se apud Roboamum acturum, ubi Dies comitiorum illuxerit, adpromittit.

ACTUS II. Scena 1. & 2.

Phæbus splendorem suum in axe explicans, felicitatem omnem Israëli ominatur, varijs verò, & ambiguis vocum reflexionibus, Roboamum fatigat.

Scena 3. & 4.

Omina deniq; non nisi ex diversorum sensis infaultissima ad usq; portas Sichem Roboamum & præcedunt, & comitantur.

Scena 5.

Proximo jam Urbi Rege, Duodecim Tribus Israël, suoqueq; onusta Jugo, Roboamo procedunt obviam, & Jeroboamo perorante Salomonis absolvi jugo exposcunt; sed in tertium usq; diem mandato Regio comitijs exesse, & Regium præstolari responsum jubentur.

Scena 6. 7. & 8.

Inito igitur cum suis Rex consilio, favorabilem Israëli Seniorum accipit sententiam; Sed sanum derelinquens

quens eorum consilium, Adolescentulorū insano flexus
judicio, Scorpionibus à se cædendum Israël pronuntiat.

Scena 9. 10. 11. & 12.

Videns itaq; populus, quòd noluisset eos audire Rex,
reversus in tabernacula sua, Roboamo rebellat;
Aduram, qui erat super Tributa Regis, lapidat, & alia ho-
stilitatis indicia exercens, congregato cœtu, Jeroboa-
mum coronat, & hunc exceptâ Tribu Juda contra Ro-
boamum subsequitur, armatus.

C H O R U S,

Justitia cælo delapsa Cor Salomonis Sapiens, cum in si-
pientis Roboami corde bilance ponderat; ubi & hu-
jus temporis Juventutis insania à Genijs deploratur, atq;
ut eandem horreant, dissecto corde utroq; illuc impe-
ria & dores regias, hîc verò servitute cum vanitatis
fumo turpissimam, spectandam proponit.

ACTUS III. Scena 1. & 2.

Roboam rebellionem Tribuum jam probè intelli-
gens, furore abreptus Aduræ mortem dum ulcisci
parat, à sensibus ipsis alienus, sopore opprimitur. dumq;
indormit profundius, diviso per Justitiam divinam Ahia
Prophetæ in duodecim partes pallio, nonnisi partem u-
nicam proprias inter manus, jam evigilans deprehendit.

Scena 3.

Somnia ergo ut meliùs intelligat, diversa diversorum
explorat judicia, sed à nullo, quàm ab ipso Ahia Pro-
pheta scindendum è manu sua Regnum intelligit.

Scena 4.

Quapropter Rex Roboam festinus ascendit currum,
& fugit in Jerusalem; majore, quàm ante armatus
manu

manu, contra Jeroboã, & universum Israël pugnaturus.

Scena 5.

Quæ dum à Roboamo geruntur impensius, Israëlitæ etiam partes suas tuentur, Jeroboamo, jam creato Rege, castra disponente.

Scena 6.

Israëlitæ centum octuaginta millia electorum pro parte Roboam in campo, intelligunt, & ad Deum suum, pleno corde conversi cælitus opem implorant.

Scena 7.

Exultante in armis Roboamo, factus est sermo Domini ad Semciam, bellum inferre Israëlitis interdicens.

Scena 8. & 9.

Expedit proinde voluntatem Divinam Semeia, & unumquemq; in domum suam cum Roboamo reverti compellit; utq; scissum à se Regnum æquiore Rex ferat animo, ab adolescentulis ad varias voluptates animi invitatur Israëlitis interim magnalia Dei prædicantibus, & Jeroboamo novas à Sefac Ægypti Rege suppeticas postulante.

Intermedium:

Scena 10.

Roboam & Stultus, & Idololatra repræsentatur.

C H O R U S.

Sopito inter epulas Roboamo, patriam in Regno pietatem extinctam, desiet Religio, & infinitum hujus temporis stultorum numerum, deplorat.

ACTUS IV. Scena 1. 2. 3. & 4.

Sudante inter epulas Roboamo, Sefac Rex Ægypti Jeroboami secutus consilia, Lybies, Trogloditas

*E*thiopesq; contra Roboam in Jerusalem obarmat, nihilo ab epulis, ludisq; varijs Roboamo remittente.

Scena 5. & 6.

Rex Sefac, varias de muratis Judæ civitatibus prædas agit. multum populo collacrymante.

ACTUS V. Scena 1. 2. & 3.

Misertus itaq; Semeias Propheta populi, iram Dei Roboamo explicat, sed apud temulentum nihil efficiens, ad Principes Juda se convertit. quibus deinde unâ cum Rege humiliatis, & quia inventa sunt in Juda opera bona, (*Paral. 2. 12.*) etsi furorem Domini ab Israël averterit, servituti tamen Sefac Ægypti Regis eos subjecit.

Scena 4. & 5.

Latitante Roboamo, Rex Sefac thesauros Domûs Domini, & Domus Regis spoliat, & demum jussu Dei, triumphos inter, ab Jerusalem finibus recedit.

Scena 6. & 7.

Evigilans tandem Rex Roboam, insipientum deflet consilia, sortem infelicissimam lamentatur, omnem Juventutem aulâ exterminat, Seniores in consilia Regni adhibet, & extremæ consulturus paupertati, pro aureis clypeis, non sine lacrymis, scuta ænea Principes inter distribuens, Sapientiam orbi toti colendam, proscribendam verò Juventutis stultitiam, hac sui Regni vicissitudine commendat.

O. A. M. D. G. Bq; M. V. H.

